

set egressa. Hoc est, à præsentia eius. Accipi faciem pro præsentia indicat psalmodographus, cum ait: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Hoc est, propter præsentiam iræ tuæ. Et statim: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Et paulo post: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Cicatrices appellat pestilentes affectiones, quas cum sanatas esse putamus, ita sæpe corruptas inuenimus propter inscientiam nostram, ut peiore loco videamus esse nosram salutem, quam antea. Vel accipitur hoc Danielis loco facies pro ira. Interrogauit enim Daniel principem carnificum, cur tam immane decretum ab ira regis egressum esset. Accipi autem faciem pro ira indicat scriptura multis in locis. Cum Agar affligeretur à Sarai, coniecit se in fugam: & interrogata ab Angelo vnde veniret: A facie, inquit Sarai domine meæ ego fugio. Hoc est, ab ira eius declino. Eodem modo Leuit. 20. Ego ponam faciem meam contra illum, 1. Re. 21. ait dominus. Et cap. 11. libri 1. Regum: Fugit in die illa Dauid à facie Sauli. Et Psal. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Et Ionæ 2. Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis à facie domini. Vbi facies accipitur pro ira. Aut fortasse pro præsentia, & dominus pro propitiatorio in arca Dei, ut sit sensus: Surrexit Ionas, ut fugeret à terra sancta, vbi conspicebatur propitiaria in arca Dei. Vel à facie regis. hoc est ab eius animo: pro eo enim accipitur aliquando facies: ut apud Iob capite 23. Nec faciem meam operuit caligo: Hoc est, nec tenebræ cooperuerunt animum meum. Et Psal. 9. Auferuntur iudicia tua à facie eius. Et paulo post: Auertit faciem suam, ne videat in finem. Impij enim tenebris circumfusi animum auertunt à luce propter mundi potentiam, & voluptatem, quibus elati perpetuam sibi felicitatem pollicentur. Et Ieremias capite quinto: Indurauerunt, inquit, facies suas supra petram. Hoc est corda sua saxis durora reddiderunt. Potest hoc Danielis loco sumi facies pro ore, ut sit sensus. Quare tam aspera & inhumana sen-

tentia exit ab ore Regis? Ita accipitur primo cap. Esther, vbi Mamucham dixit Regi Assuero: Si tibi placet, egredietur editum à facie tua.

¶ *Daniel inuressus*. Subaudi ad Regem Nabuchodonosorem, à quo petit, ut daret sibi tempus ad solutionem somnij aperiendam. Filius Diuinæ misericordiæ tempus postulauit: non quod crederet, se ingenij acuminè, mentisque perspicacitate somnium regis, eiusque interpretationem inuenturum, sed ut pius, ac ardentes preces funderet ad Deum, cuius pietate nitebatur. Omnem namque spiritus, mentis & cogitationis in Deo figebat ac locabar.

¶ *Ad solutionem indicandam*. Ad somnium eiusque interpretationem exponendum.

¶ *Ingressus est domum suam*. Ut scilicet totum negotium sociis suis indicaret, eosque ad preces ad dominum emittendas hortaretur, & ut ipse aptius Deum oraret, ardentiores preces in cœlum profunderet, altissimæ contemplationi quietius se dederet, & inanis gloriæ rumulos effugeret. Ait enim dominus Iesus Christus in euangelio: Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Cui nos viderimus periculis cinctos, & in ærumnis versatos, statim est nobis ad obscuraciones confugiendum, quibus diuinum numen sceleribus nostris violatum placare conemur. Magna est precationum vis: ait enim dominus apud Ioan. nem capite 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et apud Mattheum 7. Petite, & dabitur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui querit, inuenit, & pulsanti aperietur. Et capite 21. Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et Psalmo 49. Inuoca me in die tribulationis, erua me. Et Psalmo 80. In tribulatione inuoca stime, & liberaui te. Et paulo post: Dilata os tuum, & implebo illud. Hoc est, pete, & dabo tibi. Cum Iacob ad exitum vitæ vocaretur, in hunc modum filium suum Ioseph allocutus est, ut capite Genesis 48. memorię proditum est, Do tibi paratem vnã extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

Esther 1

Mat. 6:

Io. 16.

Mat. 7.

Mat. 21.

Psal. 49.

Psal. 80.

Gen. 48.